



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

5. De causis & remediis ariditatis. Thema. Anima mea, sicut terra sine aqua tibi. Psal. 141.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO V. IN REGULAM XXI. SUMMARI.

Exhibet causas, & remedia Ariditatis.

T H E M A

Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Psalm 142. 6.

Vel ex Regula 21.

Literarum Sacrarum monumenta Jud. 1. 15. referunt, axam filiam Caleb cum patre suo in itinere progredientem suspirasse: ausiens verò in Caleb: Quid habes, inquit? At illa respondit: Da mihi benedictionem: Terram australem & arenentem dedisti mihi (quam Solis calores exsiccant) junge & irriguam; deditque ei Caleb irriguum superius, & inferius. Quid Filia Caleb denotat, nisi animam veræ devotionis cupidam; sed ex se instar terræ arenosæ aridam, absque aqua devotionis sterilem, atque à cupiditatum ardoribus, magis adhuc eam exsiccantibus, oppognatam, quæ ad Patrem caelestem suspirat. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Psalm. 142. 6. Velociter exaudi me Domine; quia defecit*

spiritus meus. Da mihi caelestem aliquam benedictionem, quæ me refrigeret, commuta terram aridam, & sterilem, in irriguam aliam, quæ fructus benedictionis proferat. Et si ita in orando, & suspirando perseveret; Pater caelestis omnino misericors, irriguum superius, & inferius donat; Superius irrigationem est aqua devotionis, quam DEUS dat per seipsum, & (ut ait David) ex alto mittit: Etenim cali distillerant à sinu Dei Sinai. Psalm. 67. 9. instar pluvie sponte decidentis. Irriguum inferius est gratia devotionis, quam Dominus Deus noster mediâ nostrâ diligentia in meditatione, lectione, exhortatione, alijsve pietatis exercitijs communicat.

Hujus devotionis ut participes reddemur, contrariæ ariditatis causas, & remedia considerabimus.

Antequam verò ariditatis causas inquir-

inquiramus, prænotandum erit pro intelligentiâ Tironum, quid sit ariditas in oratione: nimirum 1. Est distractio, & evagatio mentis, quâ ad alia cogitanda, quæ ab orationis materiâ prorsus aliena sunt, etiam invitè avocatur: ut sibi contigisse recenset D. Hieronymus Dial. contra Luciferi. Nunc (inquit) creberrimè in oratione per porticus ambulò, aut de favore computo. Deinde Aridus est, qui etiam absque distractionibus nullum rerum divinarum gustum, aut consolationem percipit; sed tanquam terra sine aquâ affectum; & tanquam lignum aridum, discursum pertere nequit. Aridus denique est, qui in oratione variorum affectuum motibus, ut ira, tristitia, aut aliis, tanquam mare fluctibus agitatur, adeoque tadium, & inclinationem ad abruptam orationem sentit, aut somnolentiâ infestatur. Hujus verò ariditatis, ut apud Cassianum coll. 4. c. 3. dicitur Abbas Daniel, ternæ recensentur causæ à majoribus traditæ; Aut enim de negligentia nostrâ, aut de impugnatione Diaboli, aut de dispensatione Domini ac probatione descendit. Quas causas nunc expendemus.

1. Prima ariditatis nostræ in oratione causa, est Deus. *Aliter tentat Deus,* inquit S. Ambrosius Lib. de Abraham. c. 2. *Aliter Diabolus: Diabolus tentat, ut subvertat; DEUS tentat, ut coronet.* Inter tentationes has à Deo inimicissas, est quodque ariditas, quam Deus immittit orantibus, variis de causis. 1. In pœnam alicujus peccati admitti in spiritualibus exercitiis vel superbix, aut præsumptionis. 2. Ad augmentum

meriti, quod resistendo consequimur. B. Virgo dixit S. Brigittæ Lib. 3. revel. c. 32. *Turbati non debes, si quandoque cor tuum induratur; quia hoc est ad majorem coronam.* 3. Ad probationem nostrâ, nostraque constantix, ut ait S. Ignatius Reg. 9. de discern. an. mot. *Ut probemur, quinam simus, & quomodo absque consolationum spiritualium stipendio nos Deo impendamus.* 4. Ut certi simus, nostrarum virium non esse, vel acquirere, vel retinere fervorem devotionis; & agnoscamus in nostrâ potestate non esse, rectè orare; sed id totum à liberalitate Dei pendere. S. Ignatius l. c. 5. Denique propter honorem, & gustum suum: nostrâ enim patientiâ, resignatione ac perseverantiâ DEUS mirificè delectatur.

At remedium hujus ariditatis, quodnam adhibebimus? Respondeo: Si primo modo, id est, ob delictum, DEUS ariditatem nobis immittat, gaudendum est, Deo hæc ratione quodammodo pro offensa fieri satis. Hanc ob causam R. Pater Ludovicus de Ponte Purgatorium, ac Infernum dari gaudebat. Quod gaudium ex solido Dei amore, & odio peccati, ac magnâ cognitione, & reverentiâ divinæ Majestatis oritur. Quòd si verò reliquis modis oriatur ariditas, pariter gaudendum est, quòd Deo placeat, ita nos tractare; atque hæc conformitas cum divinâ voluntate, actus obedientix, & charitatis est, quem personæ eximiâ sanctitate illustres exercuere.

Sancta Theresia octodecim annorum spatio magnam ariditatem sustinuit, velut ipsa refert in vita sua Cap. 30.

Ggg 2 S.

S. Franciscus biennii intervallo, moerore gravissimo, etiam orationis tempore ita tabescebat, ac cruciabatur, ut sibi à Deo derelictus videretur, eimque celare nequiverit, nec cum Fratribus conversando, nec precibus insistendo eundem depellere poterit. R. Pater Balthasar Alvarez sedecim annorum ariditatem pertulit. c. 2. vitæ: At postmodum insigni contemplationis dono illustratus. B. Clara de monte Falco undecim. B. Catharina Bononiensis quinque. B. Maria Magdalena de Fazzis primò quinque, deinde aliis sedecim continuis annis maximam ariditatem passa est, usque ad mortem, ita ut videretur à Deo quodammodo derelicta, & sensu divinæ gratiæ destituta, quod illi eventurum Deus ipse præmonuerat. B. Angela de Fulginio biennio, ut ipsa de se scribit, inauditas spiritus ariditates sustinuit.

Sanctos igitur hos, Charissimi, imitemur, si quandoque DEUS nobis non nullam ariditatem submittat; nec propterea animo cadamus, novit DEUS misericordissimus ariditatem in consolationem convertere, & terram aridam, & sterilem cordis nostri rore gratiæ suæ aspergere, & fecundare: Minime autem desperes, inquit S. Laurentius Justinianus de triumph. Christi agone, qui huiusmodi est: perseveret in bono, & per bonum discat bene facere: non enim in bono occupatos derelinquit Deus; sed illos ex insperato visitare consuevit.

II.
Diabolus.

II. Altera ariditatis causa est Dæmon. Universum bellum, inquit S. Nilus c. 47. de oratione, quod inter nos, & Demones conflat, non est de aliâ re, quàm de ora-

tionem: est enim Oratio illis valde adversa & odiosa; nobis verò salutaris, & valde benigna. Hæc autem ariditas duobus modis oritur, sicut & alia quævis tentatio à Diabolo procedens. Exteriùs, & Interiùs. Ut in vitis PP. L. 5. n. 33. exposuit S. Syncretica: Sicut nam (inquit illa) aliquando exteriùs suis moribus opprimitur; aliquando vero interiùs crescente sentina demergitur. Ita proinus cum animæ nostræ cimba agitur. Exteriùs, & immediatè Dæmon orationem invadit, quando Deo permittente, nos per se infestat orantes. Cujus rei exempla apud S. Athanasium in vita Magni Antonii, apud S. Hieronymum in vitâ Hilarionis, & apud S. Gregorium Lib. 2. Dial. c. 4. legimus. Celeriùs est Historia in vitis Patrum de S. Macario Alexandrino, quem Dæmon excitavit, & accersivit ad orationem, asserens nullam Collectam sine Dæmonibus agi, quos & Macarius tanquam parvulos Æthiopes per templum cursitantes, & Monachos variè tentantes in Oratione conspexit. 2. Interiùs, dum Dæmon mediatè per pravos habitus acquisitos, vel actus malos prævios, ut colloquia otiosa, vel negligentem sensuum custodiam, nos in oratione inquietat suggerendo ea quæ locuti sumus, aut vidimus, quæ S. Macarius *Farta cogitationum*, & S. Laurentius Justinianus *Furcum mentis* in Oratione appellat, quia temporis particulas nobis orantibus suffuratur.

Quæ autem methodo, quibus ve armis hosti huic occurremus? 1. Spiritum Superbiæ oppugnemus nos coram Deo humiliando. 2. De datâ occasione doloremus. 3. Si cogitationibus blasphemis

contra

contra Deum, aut Divina impetatur; non terreamur, nec cum Diabolo disputemus; sed (ut suadet S. Joannes Climacus Gradu 23.) *contemnamus*: Qui enim (ait) *hunc spiritum despiciit, iter evasit; qui vero illi aliter reluctari nititur, tandem subiacet*. Itaque pergamus in oratione, & quasi contra ventum navigemus; nec, ut docet S. Basilius, cum Daemon inter orandum pravas rerum species animis nostris objicit, ab oratione desistamus; aut immillas à perilligatore verisipelle suggestiones, nostras esse arbitremur; sed majore curatu Deum supplicemus. Constit. non. c. 18. Hæc ratione ariditas à Damone causata non in pœnam, sed præmium verget: secundum illud S. Chrysostomi Serm. de Cani. David. *Demones plerumque nos juvant, dum oppugnant*.

III. Tertia ariditatis causa est homo ipse orans: idque vel absque sua culpa vel eum culpa. 1. Absque sua culpa dum svagatio ejusmodi, & sterilitas mentis à natura exoritur: quod 5. modis accidit. 1. Ex morbo capitis præsertim indispotione. 2. Ex hebetudine Intellectus naturalis, & obtusi ingenii, atque ad discursum inepti, inhabilitate. 3. Ex frigatione capitis, post Studia & speculationes. 4. Ex defectu somni sufficientis. 5. Ex conditione loci ad orandum inidonei.

In hujusmodi ariditatibus duo sunt arido præstanda. 1. Non oportet affligi quenquam, cum ipse culpam non admiserit: ut bene scripsit Sanctus Climacus Gradu 13. c. 11. Casianus L. 10. Instit. c. 1. & collat. 5.

Et Sancta Theresia in vita Cap. 9. omnesque Asceseos Magistri antiqui & recentiores docent. Nam amor Dei (& Devotio) ut ait prædicta Sancta, non consistit in lacrymis, gustibus, & teneritudinibus cordis, quas ut plurimum optamus, & iis nos solamur; sed in serviendo Deo cum Justitia, fortitudine animi, & humilitate: quòd abundemus gustibus, id est, potius accipere à Deo, quàm illi aliquid dare, feminis debilibus id quadrat; ut possint ferre labores, & tribulationes; sed ut servi Dei præsertim solidi in Literis, & magni Intellectus tantopere æstiment, quòd Deus illis subtrahat devotionem sensibilem, ferendum non est. Haslenus S. Theresia.

2. Humiliet se Aridus, & loco devotionis sensibilis, quam non habet, ut desideraret, humilitate cor Dei recreabit, & orationes ferventes jaculatorias, crebrò repetitas, in calum vibret, vel unam, eandemque repetendo veluti S. Franciscus, qui totam noctem exegit: *Deus meus & omnia*: Vel variando, ita ut primo quadrante, ut suadet S. Basilius, Deum benedicas, & adores: secundo contritionem elicias: tertio pro beneficiis gratias referas: quarto Dei auxilium implores. Hoc pacto Deo placebit oratio nostra, & non rarò plus meriti obtinebimus, quàm si summâ dulcedine spiritali reficeremur.

Quòd si verò ex negligentia, & culpa nostrâ ariditas promanaret: ariditatis fons inquirendus, & à nobis pro viribus cum Dei gratiâ obstruendus est. Fontes autem hujusmodi sex recensentur. Primus est negligentia in vita puritate procurandâ,

procuranda, & peccatis venialibus de-
 liberatis etiam minimis evitandis. Hæc
 enim teste S. Augustino, homil. 50. c.
 3. ex 50. *Sunt veluti scabies, quæ nos à
 castissimis sponsi amplexibus separat.* Non
 quidem ut explicat S. Thomas, perfe-
 ctè, ut per peccatum mortale contingit
 sed imperfectè; quia per peccatum ve-
 niale retardatur affectus hominis; ne
 promptè in Deum feratur. Secundus
 fons est, negligentia in edomandis pas-
 sionibus. ira, timoris, amoris; quæ ut S.
 Basilius ait: *Aciem perspicuitatè inque ani-
 mi confundunt, & exturbant,* in Psal. 33.
*Veluti fluctus mare commovent: Tur-
 batus est a furore oculus meus,* ait Prophe-
 ta. Tercius fons est effusio ad res terro-
 ras, ex affectu inordinato profluens: res
 enim externa distrahunt, uti & parti-
 cularis amicitia, & silentii transgressio:
 Hinc S. Maria Magdalena de Pazzis
 dicere non est verita: *Anima religiosa,
 quæ non deleatur silentio, impossibile est, ut
 habeat gustum in rebus divinis.* P. Cepa-
 rius in vita c. 44. Quartus est negli-
 gentia in præparatione ad orationem,
 si puncta non benè præparentur, aut
 prævideantur, contra monitum Spiri-
 tus S. *Ante orationem præpara animam
 tuam, & noluisse, quasi homo, qui tentat
 Deum.* Eccl. 8. 23. Unde diligentissi-
 mè se præparabat Sanctus Ignatius, &
 Sanctus Carolus Borromæus. Quintus
 fons est negligentia, quæ immediatè
 ante meditationem animus sinitur eva-
 gari per ineptas cogitationes, confabu-
 lationes, aut alias sensuum distractio-
 nes. Sextus fons est negligentia in sen-
 suum, vel mentis custodia sub ipsa ora-
 tione. Contra hos fontes Sanctus Ig-

natus additione 3. *suadet cogitare
 præsentem & intuentem Dominum
 JESUM.*

Hos fontes ariditatis obstruimus. 1.
 Vita puritate. 2. Passionum refræna-
 tione. 3. Animi recollectione. 4. Diligen-
 ti præparatione. 5. Sensuum custodia
 ante orationem, & 6. In oratione: At-
 que ita adhibitis à nobis omnibus me-
 diis, omnique industriâ nostrâ, Divina
 Bonitas, si ad gloriam suam, animæ
 quæ nostræ salutem conduxerit, atri-
 tatis nubes dispellet, & devotiois tra-
 diis mentes nostras collustrabit, etiam
 in mediis occupationibus & laboribus
 pro salute animarum susceptis.

Hoc autem assequemur, si (ut suade-
 bat S. Ignatius & ipse in praxi exerce-
 bat, teste P. Mastro, l. 3. vita c. 1.) ne-
 rebus & negotiis non tradamus, sed
 commodemus. Unde ipse, siue cibum
 caperet, siue per urbem incederet, siue
 negotia tractaret, divina lumina viden-
 tibus percipiebat, teste Ribadeneira.
 4. c. 2. & Orlandino l. 10. n. 18. Minus
 quoque est, quod de P. Joanne Polanco
 ab antiquis Patribus teste accepisse re-
 fert P. Nicolaus Lancicus opul. c. 7. 29.
 Eth enim is, & universæ Societatis Se-
 cretarium & Concionatorem, & Ca-
 techistam, & Procuratorem Genera-
 lem, ac domesticum, simulque historia
 Societatis scriptorem ageret, & nomi-
 ne S. Ignatii ad omnes Epistolastero-
 sponderet, nec tamen à culinæ, tricu-
 niique muneribus immunis esset; nullus
 tamen in oratione animi evagationes
 est pallus. Quamobrem verè commo-
 dabat se negotiis, non tradere: quæ
 admodum & de coquo quodam refert
 S. Joannes

3. Joannes Climacus gradu. 4. Qui licet pro Monasterio, ducentos & triginta, præter hospites, & advenas, Monachos numerante cibos pararet, dono tamen lacrymarum & devotione singulari cum præditus esset: causam rogatus: respondit: *Nunquam hominibus me servare arbitratus sum, sed Deo: & indignum meipsum quiete animi judicans: Ex hujus ignis contemplatione, sempiterni incendii jugi contemplatione compungor.*

Sane coquus hic Marthæ ministeriis non dabat se, sed accommodabat: non homines sed Deum respiciebat: hinc pulla ariditate; devotione magnâ donatus fuit. Exemplum haud abfimile in Historia Franciscanâ 3. p. l. 10. c. 19. legitur: Coquus nonnemo, culinæ ministeris perfundus, in collem se recipiebat orationis gratiâ, & magnis consolationum cœlestium deliciis recreabatur: quas uberius se hausurum rebatur, si à culinæ distractionibus liberaretur: impetratâ verò liberatione, magis ariditate obrutus fuit: quare agnito errore, ad functiones culinarias redux, pristinam devotionis gratiam recepit; quin & humilitatis, & charitatis offi-

ciis in culina exercitis mirificè auxit. Cum his igitur, nos officiis charitatis, & ministeriis non demus; sed accommodemus & in devotione persistemus.

Quòd si verò: Charissimi, omni conatu adhibito ariditatem sive à Deo, sive à Diabolo, sive à nobisipsum causatam depellere non valeamus: constanter in oratione, nihilominus perseveremus, & majus meritum, quàm in devotionis teneritudine nos relaturos confidamus. 1. Quia oratio arida humilitatem excitat, veluti sensibilis devotio superbia præbet occasionem: teste S. Laurentio Justiniano in fasciculo amoris c. 16. 2. Quis in ariditate, patientia exercetur, dum infestationes Dæmonis, aut naturæ, patienter toleramus. 3. Exercetur fortitudo heroica, dum in oratione ob tentationum, & evagationum impetum insipida & amara, perstamus. 4. Major erga Deum amor ostenditur, dum non obstante

Dæmonis violentiâ, in colloquio cum Deo perseveramus.



REGU-